

D. A. G.
DISSERTATIONIS ACADEMICÆ,
DE
ELOCUTIONE
ORATORIS SACRI,
PARS PRIOR,

QUAM
SENSU AMPL. SENAT. PHILOS. IN REG.
ACAD. ABOËNSI,
PRÆSIDE
MAG. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,
ELOQUENTIÆ PROFESSORE REG. ET ORD.

PRO GRADU
Publice ventilandam sistit
JOHANNES MOLANDER,
Wiburgensis,
In AUDITORIO MAJORI Die XXIII Junii
An. MDCCLXXXIV,

H. A. M. C.

ABOË,
Typis apud Viduæ Reg. Acad. Typ. J. C. FRENCKELL,

VIRO

Admodum Reverendo atque Praeclarissimo,
DN. M. CLAUDIO JOHANNI
MOLANDER,

*Pastori Ecclesiae, quae Deo in Ilomantz & Eno colligitur,
accuratissimo, Adjacentisque Contractus Praeposito
gravissimo,*

PARENTI INDULGENTISSIMO.

*Pietatis testandae causa, quae pectori haecenus inclusa
ardens, hac publice innotescendi gestiit opportunitate uti,
Dissertationem hanc, benignitatis Tuae, PATER INDUL-
GENTISSIME, Paternaeque benivolentiae fractum, Carissi-
mo Nomini TUO venerabundus dedico; intimo vovens mentis
affectu, velit Te, Summus rerum humanarum Arbiter, animo
corporeque vegetum, ac perpetua felicitate late florentem,
ad ultimos usque senectutis terminos conservare!*

OPTIMI PARENTIS

Filius obedientissimus

JOH. MOLANDER.



S. I.

Ut in controversiam vocari, aut omnino dubitari nequit, quin eloquentiæ facultate Sacris Præconibus vehementer opus sit, postquam orationibus ad populum habendis doctrinam Christianam explicare animisque audientium inculcare, institutum fuit; ita easdem in universum leges, eademque præcepta his quæ cæteris oratoribus esse observanda, diligentissimoque studio exprimenda, certum videri cuivis atque exploratum debet. Quod idem de Elocutione quoque Oratoria existimandum est, eadem sane diligentia his atque illis tractanda. Aberrasse autem homines populo publice docendo præfectos, in utramque partem quod reperiamus; aliosque omnem in sacras suas conciones Epidicticæ Eloquentiæ venustatem, dulcedinem & splendorem transferre instituisse, quin Poëticam adscivisse luxuriam, modum omnem excessisse, fucum & calamistros adhibuisse; alios contra, omnem orationis elegantiam, nitorem & ornatum contempsisse, aspernasse, alienumque ab opere & instituto suo existimasse: id ex veræ rationis ignoratione, falsisque

A

&

& ineptis de eloquentiæ & nomine & laude opinio-
 nibus profluxisse, facile intelligas. Hæc enim, in
 Pragmatico quoties genere versatur, id est, quoties
 non delectandi tantum aut ingenii ostentandi gratia
 dicitur, (quod leviculum consilium, Sacri Oratoris mi-
 nime explet officium), sed docendi, movendi, flecten-
 di, verbo persuadendi causa, ad populum loquimur;
 & a nimio illo, molli lascivientique luxu longissime
 abest, & ad conciliandos, excitandos, perdocendos,
 vincendos auditorum animos adeo potens est, ut ejus
 spernere subsidia, artem atque vim repudiare, idem
 sit ac persuadendi dictisque suis aliquid efficiendi
 studium omnino abjicere, hoc est, aut stultitiæ mani-
 festæ aut perfidiosæ negligentæ culpa se contamina-
 re. Necessitatem igitur accuratæ & egregiæ elocu-
 tionis ab Oratore Sacro adhibendæ, demonstrare, su-
 pervacaneam ducimus; cum quæ de momento hujus
 facultatis a Rhetoribus generatim disputata atque lu-
 culenter evicta sunt, de hoc genere non minus quam
 de reliquis planissime valeant. Qui ita dicunt, ut au-
 ditoribus nauseam moveant, ut in lingvæ puritatem
 peccent, ut aut difficulter aut omnino non intelligen-
 tur, ut lente, frigide & otiose loquantur, ut perpe-
 tuis tautologiis, verbis, sententiis & imaginibus ad-
 rem nihil pertinentibus, temere congestis, ineptis
 & absonis, animos auditorum fatigent & offendant,
 neque auribus eorum magis magis quam mentibus
 parcant: num hi vel doctoris vel oratoris sacri satisfi-
 fecis-

fecisse officio, hominibus sapientibus religionique amicis videbuntur? Qui profusam contra luxuriam, delicias, cincinnos, festivitates, lenocinia adhibent, quam parum decenti, quam putido, quam levi habitu sanctissimæ religionis veritates induunt, gravitate sua, vi atque majestate exutas! Simplicem munditiem religio amat, nobilemque honestæ matronæ ornatum, non meretricium fucum pueriliaque pigmenta expetit. Aliud agere sese debere Sacer meminerit Orator, quam ut aures titillare, ingeniolum ostentare, inanem laudem atque admirationem captare conetur: cuius futillissimi indulserit rationi, a vero muneris scopo, ab officii sui norma, longissime & turpissime aberrat. Adeo igitur alieni, adeo foedi consilii, nulla ex orationibus suis exstare patiatur signa; neque coeca & corrupta eorum curet judicia, qui aliter statuunt. Materix suæ dignitate atque gravitate si affectus est, ut debet, officii sui perficiendi si serio satis cordatoque studio ducitur; ad hujusmodi non dilabetur ineptias: quas neque intelligentes & honesti viri, qui eum audiunt, probare, laudare, plausuque excipere solent, sed potius respuunt, vituperant & contemnunt; stultis autem placere, vilis gloria est. Non hujusmodi nugis laudem admirationemque sibi pepererunt *Demosthenes* atque *Cicero*, neque talibus deliciis inclaruerunt, qui vel olim ecclesiasticæ eloquentiæ fama flourerunt, vel hodie florent. Quamquam de tota hac ornamentorum orationis moderandorum prudentia,

accuratius infra disputabitur. Hic monuisse suffecerit, communem hanc Sacrae Eloquentiae cum alia quacunque Pragmatica rationem, satis demonstrare, non alia nobis praeeptione opus esse, Elocutionis ecclesiasticorum Oratorum rite conformandae indolem circumspicientibus, quam quae accurate a praeclearis artis Rhetoricae magistris traditur; applicatione tantum ad hoc genus facta, vitiis quae ab ejus cultoribus imprimis committuntur, notatis, cautioneque his maxime necessaria plane proposita. Quod nostrum quidem in his paginis exarandis consilium fuit, quo & nobis & horum studiorum sociis adolescentibus, in memoriam revocare praecipua momenta instituimus, quae in sacrarum concionum elocutione concinnanda, observatu necessaria sunt. Exempla Svecano sermone apponimus, quod non semper ex alia lingua in aliam translata vel vitia sermonis vel virtutes, aequae facile cernantur, quodque ad vulgares imprimis lingvas haec praeeptio utilius refertur, quibus in populo docendo utimur. Ex libris autem ac concionibus typis vulgatis ea fere excerpimus; quod plurimorum manibus terantur, adeoque ad imitandum facilius permovent. Fennica exempla paene omisimus, quia pauciores habemus orationes vernacula hac nostra in lucem editas, quam ut dicendi studiosos in imitationem pertrahere valeant, aequae rarius fere ab his consulantur, ac propter exemplarium paucitatem consuli possunt. Monita praeterea, ad utramque vernaculam pleraque, a
lin-

linguæ utriusque peritis, non difficulter referre licet, ac vel inter audiendum vel inter scribendum utiliter applicare.

§. II.

Non incommode Rhetores omnem elocutionis virtutem ad tria præcipua atque summa quasi revo-
cant capita, *Elegantiam, Ornatum & Aptum* dictionis
characterem; quibus singulis sua porro distincta sub-
jiciunt genera. Quem igitur nos etiam merito sequimur
ordinem. *Elegantiam* tribus constare docent partibus,
Puritate sermonis, Perspicuitate & Urbanitate; de qui-
bus singulis quædam Sacri Oratoris attentionem ma-
xime poseerint, monuisse non abs re fuerit. *Puritatem*,
sive usum sermonis ad Grammatices præcepta genium-
que linguæ accommodatum, & Perspicuitatis & Ve-
nustatis ratio observari accurate jubet. Quare lin-
guæ ipsius, qua usus est, naturæ legibusque cogno-
scendis, non segnem utique futurus Orator tribuere
debet operam. In quo turpiter non raro nostri pec-
cant; qui partim Grammaticam vernaculi sermonis
vix nomine tenus cognoscentes, partim præstantissi-
mis qui hac lingua scripserunt auctoribus diligenter
tractandis, genium ejus, elegantiam & copiam non
addiscentes, confidenter tamen publice dicendi aggre-
diuntur opus: unde barbarismis & soloecismis, voci-
bus locutionibusque peregrinis, incommoda vocum

flexione (a), falso earum usu alienaque & incommoda significatione (b), commistione generum, diversorum numerorum vitiosa conjunctione, aliisque hujusmodi nævis (c), orationes publice habitas scaterere reperias. Quin libros etiam scriptaque typis vulgata, his vitiis conspurcata sæpe videas. Non ita negligenter incuriosæque Italis, Gallis, Anglis, ac jam etiam Germanis, licet patriam tractare linguam eamque impune vexare atque corrumpere. Offendas apud nostros *underdånare*, *wemödig*, *Bewefelse-grunder*, ad imitationem Germanorum ficta; *öfvertro* pro *wantro*, *wanskelig* (Latine *inconstans*) pro *swår*, *nårma sig*, &c. quæ Danica sunt; *det tjenar ej än at* (pro *til annat än at*) *förbittra honom*, ad Gallicæ linguæ indolem accommodate, pluraque hujus generis alia: quæ & vernaculæ linguæ usui repugnant, & a peregrinarum istarum linguarum ignaris, rudi inprimis plebe, nullo modo intelliguntur. Patrum nostrorum memoria, verba Latina, Græca & Hebraica, quin integras sæpe sententias peregrini-

(a) Sic non licet v. g. *præterita participiorum passivorum comparare*, *ålfad*, *ålfadare*; *årad*, *åradaste* &c.

(b) Ex. gr. Male usurpari audias *råtrådig*, *råttförmig*, *råttmåtig*, pro synonymis; *Ståmma bårt*, & *Ståmma ut*, tanquam phrasæ idem significantes; sexcentaque alia.

(c) Sic male conjunguntur duo substantiva in casibus definitis: *denne hela werldenes Frålsaren* (pro *Frålsare*). *Werlds förakt* composite dicimus, & *werlds-föraktet*, itemque *werldenes förakt*; non autem *werldenes föraktet*. Et sic in aliis.

regrinis his linguis recitatas, e suggestu audire licuit; quo absurdo more hodie rejecto, a phrasibus tamen ad aliarum linguarum Europæarum, quas maxime quisque tractat, indolem detortis, multi Oratores Sacri abstinere nesciunt, æque fere populo nostro interdum obscuris, ac si peregrino prolatae fuissent sermone. Exempla cumulare piget. Quod autem ut caveatur vitium, non mediocri & diligentia & vernaculi sermonis peritia opus est; cujus itaque studium, non perfunctorie, sed accurate futuris oratoribus publicis est tractandum. Turpis ille error eximendus ex animis est, quo multi somniant, quotiescunque verbis utuntur Svecicis, Svecice etiam se loqui; licet constructio verborum, phrasium conformatio, totius sermonis quasi color & facies, ad peregrinae linguae indolem portentose sint effictae. Quod malum, superstitiosae & ad verbum, ineptè sæpe, factae, librorum & Biblicorum & Theologici argumenti aliorum conversiones, partim pepererunt, partim inprimis auxerunt & confirmarunt: infra curatius explodendum. Fennice dicentes non minus sæpe contra genium linguae peccare audias, frequentibusque immixtis Svecicismis, Germanismis &c. illam corrumpere: alii usum *Participiorum, Gerundiorum, & Pronominum vel Nominibus vel Verborum Infinitivis eleganter suffigendorum* (d), non

(d) Ex. g. otti kirjan että lusia, invenuste pro lusea: ransa; kossa mindä palaisin, pro palatesani; tuin mindä menis l. olin mennyt, pro menesäni & mendyäni, &c.

non satis frequentant; alii in *casu accusativo partiali* vel *totali* temere adhibendo a vera sæpe ratione aberrant; cætera.

§. III.

Perspicuitatis diligentissime adhibendæ, ut omnibus, ita Sacris inprimis Oratoribus, qui plebem docere imperitam debent, adeo manifesta est necessitas, ut sanus nemo illum pessime dixisse non fateatur, (si vel omnia de cætero expilaverit Rhetorum armamentaria) qui ita dixit ut mentem ejus auditores accurate & distincte non perciperent, res ab eo propositas non intelligerent, vimque argumentorum ab eo adhibitorum non perspicerent. Hujus autem facultatis late patens ratio est, atque summam diligentiam postulans, qua levi sese opera posse defungi, multi temere putant: eoque magis ardua haberi debet, quo rudiores indoctioresque sint apud quos verba facere nos oportet; contra quam multi obtuse admodum judicant. Duplici autem ut inprimis sese dote commendat, requiritur: primum ut mentem dicentis auditoribus facillime percipiendam exhibeat, deinde ut asserti veritas, vis argumentorum, nervus probationum, clare & evidenter, hoc est verbis sententiisque lectissimis, maxime idoneis, & ad captum sensumque audientium accommodatissimis, imaginationi & intellectui illorum repræsententur. Unde liquet, veram
per-



perspicuitatem Oratoriam, (quæ Philosophicam illam superare etiam debet), neque ab acute & dilucide cogitandi facultate, neque a dotibus Elocutionis cæteris separari ullo modo posse. Non sufficit, ut oratio ab auditoribus possit intelligi, sed non debet ab hominibus attendentibus non posse intelligi; neque existimet Orator ea omnia, quæ ipse in verbis suis vel videt, vel videre se putat, etiam plebi mox in iis esse obvia. Tristis sane experientia docere quemque, (plebis examinandæ laborem non defugientem), facile potest, quam exiguam illorum partem, quæ in Sacris vulgo traduntur Concionibus, quæque admodum sese perspicue proposuisse oratores ipsi autumant, rudis populi mens plene assequatur; ut mirum videri haud omnino debeat, non majorem ad animos moresque ejus emendandos inde vulgo redundare fructum! In quo docentes omni vacare culpa, difficulter statuas. Ad hoc itaque opus, ad *popularem* hanc *Perspicuitatem* Concionibus suis conciliandam, vehementer Sacri Oratores incumbant; tantoque se majorem veræ eloquentiæ laudem meruisse existiment, quanto ad eam propius accesserint: falsa & perversa hominum judicia nihil curantes, qui aliam minusque faventem de laudatissimo hoc studio sententiam ferunt, quique quid contendant, ipsi nesciunt. Exploraverit igitur S. Orator studiose, & plebis ingenium in universum, & suorum maxime auditorum mores; ad captum illorum sese demittat, verba, phrasas, sententias adhibeat non ni-



si familiares illis vel facile intelligendas, hujusque rei etiam inter scribendum perpetuo memor sit. In memoriam crebro revocet, pares illos longo rationum ordini perspicendo non esse, attentionem acrem & constantem præbere perpetuæ Orationis nexui non valere; huic igitur eorum ingenio operis sui formam esse accommodandam. Verum quidem est, non æque omnes S. Concionum auditores rudes semper esse atque indoctos: sed de maxima eorum parte recte tamen affirmari, nemo eredo inficiabitur; ac ita simul vera simplicitas ornari a perito Oratore potest atque condiri, ut etiam sapientiorum palato non displiceat. Sed oportet eum diligenter, ut monuimus, in hoc genere elaborare; *Orationis enim subtilitas (tenuis hæc & simplex ratio) imitabilis (facile) illa quidem videtur existimanti, sed nihil est experienti minus, ut præclare habet CICERO (a).* Repudiatis igitur argumentis subtilibus plebique non assequendis, compresso intempestivo eruditionis, ingenii, facundiæ ostentandæ pruritu, officii sui uberiorisque fructus efficiendi unice spectet rationem. Pertinet vero ad hoc Perspicuitatis studium, ut non modo sermonis puritatem

cu-

(a) *Orat. C. 23.* Unde etiam HORATIUS tale esse hoc genus monet,

Ut sibi quisvis
Speret idem, sudet multum, frustra que laboret
Ausus idem.

Art. Poët. v. 240. sqq.



)

II

(



custodiat, quam commendavimus: sed *obsoleta* etiam, *ambigua, obscuriora* verba, (quamvis cæterum proba-
fuisque locis recte adhibenda), ejusdemque indolis
phrases & sententias, diligenter fugiat; *novatas* voces
& locutiones, nimisque *Poëticas, Tropos & metapho-
ras*, a rebus ductas vulgo minus cognitis, *allusiones*
ad artes, fabulas, mores, ritus, nonnisi eruditis at-
que literatis hominibus notos, loquendi formulas lin-
guis peregrinis debitas, quæque nostro populo minus
patent, terminos artium & scientiarum *Technicos*,
sententiasque nonnisi literarum arcana scientibus no-
tas, *Mysticas* denique tricas, tenebras & monstra,
repudiet. Egregium locum Cel. LESS, quamvis longi-
giorem, Oratorum Sacrorum suæ gentis vitia quæ-
dam huic rationi adversa depingentis, quia ad nos-
tros etiam homines, Germanorum fere in hoc gene-
re imitatores, (mutatis modo mutandis) mirifice qua-
drat, adponere placet: "Es mischen sich auch auffer-
dem sehr viele *Dunkelheiten* in den Vortrag des Pre-
digers, welche es dem grósten theile der zuhörer un-
möglich machen, ihn zu verstehen. Eine zeitlang
redete man gar nicht deutsch. Die alten Prediger
im vorigen jahrhundert hatten die gewohnheit ihre
Predigten lateinisch zu concipiren. Sie dachten ihre
ganze Theologie lateinisch; denn in dieser Sprache
höreten sie dieselbe, und lasen auch wol wenig an-
dere Schriften, als die im Latein, und noch dazu in
der Kunstsprache der Theologen geschrieben waren.



Sie konnten also wirklich kein deutsch, und mischten daher in ihre Predigten lauter lateinische Kunstworte, Sentenzen eines Kirchenvaters, Zeugnisse eines neuen Gottesgelehrten &c. Was damals das Latein war, das ist anjetzo das Französische und Englische. Und diese mode, Französisch-oder Englisch-deutsch zu predigen, (*nostris Germanico-Svetice* &c.), ist noch unvernünftiger, als die Lateinisch-deutsche methode. Denn diese war doch wenigstens den Prediger natürlich; jene aber ist desto unausstehlicher, da diejenigen Prediger, welche sie gebrauchen, gemeinlich wenig mehr von jenen Sprachen als die worte wissen, die sie etwa in einem deutschen Journal gelesen. Noch viel gemeiner, aber auch in der that der Erbauung schädlicher, ist die *Morgenländische mode*: wenn z. E. die bildlichen ausdrücke der Bibel nicht in unsre gewöhnliche art zu reden übertragen, sondern so von wort zu wort hergefaget werden, als hätte man Leute vor sich, die eine ganz palæstinische denkungs art haben. Wie kan man erwarten, daß die Zuhörer, welche nicht Theologie studirt, die Redensarten: "Christum anziehen; den Harnisch Gottes ergreifen; die feurigen Pfeile des Bösewichts ausköchen; die Waffen des Lichts anlegen u. s. f." sogleich in ihrem ganzen inbegriff verstehen sollen: da sie dem Prediger selbst in seiner Dogmatik oder in der Auslegung dieser stellen erklärt werden? Ich tadele es hier gar nicht, wenn man diese stellen zum beweis einer wahrheit nach der Uebersetzung



Lutheri anführet: wenn nur gleich die Erklärung hinzugesetzt wird. Ich meine hier nur den *Practischen* Gebrauch, den Prediger ofte von diesen und ähnlichen redensarten machen, wo sie eine Predigt von einer ganz trockenen materie, die noch trockener ausgefüret worden, mit Ermunterungen und sogenannten Nutzenwendungen schliessen, welche ganz in jenem morgenländischen tone abgefasset sind. Hier verfehen es diejenigen besonders sehr ofte, welche eine glückliche Einbildungskraft besitzen, und sich mit dem *Poëtischen Theil* unserer Heiligen Schrift sehr bekannt gemacht. Die Schönheit der Bilder, welche die Heiligen Dichter gebraucht, und welche derjenige Leser freilich in aller ihrer stärke empfinden kann, der durch hinlängliche kenntnis der Natur und Altertümer geschickt gemacht worden, sich in eben die Scene zu versetzen; verleitet auch selbst glückliche köpfe nicht selten, von denselben ohne gehörige wahl gebrauch zu machen. Nur die Bilder, welche aus quellen genommen worden, die auch unsern Zuhörern bekannt sind, wie z. E. diejenigen, welche von Licht und Finsternis, von Aeckern, Weinbergen, (*haud nostris*), Bäumen, Wäldern, u. f. f., in gleichen der Biblischen Geschichte, entlehnet worden, gehören auf die Kanzel. Die übrigen, welche sich auf die Lage, Sitten, Denkungs art in Palæstina und Ægypten beziehen, sind dem Zuhörer unverständlich; und müssen also nothwendig seine Aufmerksamkeit schwächen, seiner

Seele gelegenheit geben, sich in andere dinge zu zerstreuen, und die Erbauung und Rürung hindern. Und doch hört man in Predigten so ofte vom *Libanon*, und *Karmel*; von den *Flügeln der Morgenröthe*, von den *Flüssen Belial* &c. reden (b).

Haud igitur Ivaferim S. Oratori, ut hujusmodi voces: idrott, bragder (studia), stormwärf (facinora heroica), digert arbete, tankdrög, ohennul, wigarf, &c. frequentet, (qualibus ubi aliquando utetur, colloca-tione & sententia vis eorum luculentissime definiatur); non Poëtarum more pro Dei nomine usurpet All-magt, Himmel, Förshnen, & sic porro. *Abstracta* pro *concretis*, (ut loquuntur), posita, in universum captui plebis non sunt accommodata. Plurima au-tem quæ Sacras nostras, præstantiores etiam, Oratio-nes obscurare solet nox, immoderatus ille & imprudens est stili Biblici, (quem parum apte vocant), h. e. Hebraismorum male ad nostram linguam traductorum, phrasiumque a nostris moribus &c. penitus abhorren-tium, usus & imitatio. Num v. g. sapienti & utili consilio, concionibus ad populum nostrum habendis hujusmo-di admiscentur phrasæ: *sitta under sit sikonatråd*, *fly til Altarets horn*, *Frålsarens köttis dagar*, *Gud up-löse öfwer oss sit ansikte*, sexcentaque talia? Quotus-quisque e rudi plebe, has & similes intelligit senten-tias: *Ännu här han* (Christus) *wåra namn i Äm-bets*

(b) Opuscula Theol. argumenti (Gott. 1780. 8:o) pag. 91. seqq.

bets skölden på sitt hjerta, då han står inför Herrans
 ansikte i det heliga; item, Hon (människan) måste
 utstå en håstig kamp för tron, innan hon kan blif-
 wa en seger öfwer denna räddhåga; item, Så länge
 Jesus wandrade i Guds ansiktets hus; item det
 skedde på den stora Försoningsdagen, då vår Med-
 lare efter sin död trädde fram för Guds ansikte, gick
 in i det allrahelgaste med blodet, bestänkte Nådas-
 ten dermed, och nedlade för Gud denna betalning?
 Piget plura exscribere. Falso huic gustui, præclaros
 cæterum viros nimis indulisse, merito doleas. Ob-
 scura quidem aliqua idea animo plebis, talia audien-
 tis, obversatur; sed quæ nullam menti lucem præbet:
 in quibus tamen, minime licet intellectis, singulare
 quoddam pondus imperitos quærere audias, qui re-
 prehendi igitur has cupedias ægerrime ferunt. Ita
 verò hæc pestis Sacram Eloquentiam pervasit, ut maxi-
 ma sane Oratori opus sit, ad contagionem ejus caven-
 dam, diligentia, perpetuaque cogitatione finis & con-
 filii operis sui, nempe ut plebis imperitæ mens doceatur
 & illuminetur, non cæcis sensibus agitetur & lu-
 datur. Sedulo apud sese ipse disceptet & exquirat,
 utrum potestas & significatio verborum locutionum-
 que, quibus usus est, (licet vel maxime in versio-
 ne Bibliorum frequententur, *sonusque* illarum familia-
 ris *auribus* populi evaserit), *mentibus* auditorum suo-
 rum satis nota, satis intelligibilis, satis clara sit? quæ
 res nisi confiterit, explicandas sibi illas esse & illu-
 stran-



frandas, non autem temere adhibendas studioseque conquirendas, existimet, quasi hac demum inconsulta affectatione, *Biblici sermonis* usurpati laudem acquirere valeat! Ad quam legem, si Sacrae nostrae Concioniones severe exigantur, quanta sui parte, plures multabuntur! Immensa enim in plerisque vocum & phrasium, ad hoc genus pertinentium, seges est. *Technicorum* verborum, non minus frequens minusve imprudens abusus est. Paucissimis exceptis, quos ipsis Christianae religionis elementis tradendis satis dilucide diligenterque explicatos esse, credere fas est; (licet plurima hic quoque piorum desideriorum materia supersit!), plerique quos tam secure adhiberi vulgo audias, plebi peregrinarum instar vocum obscuri sunt. Postquam utilissimo quidem (alio respectu) consilio, & Religionis & Philosophiae placita, vernacula lingua subtilius interpretari homines instituerunt; vocabulorum locutionumque technicarum copia, ad hanc rationem effictarum vel translatarum, ditatus patrius sermo fuit. His familiarissime ipsi adsveti, haud pauci Oratores Sacri iisdem promiscue in publicis quoque suis ad plebem concionibus utuntur. Audias hos frequenter usurpare föremål, väsendteliga och tillfälliga egenstyper, dunkla, klara och tydliga begrep, plurimaque ejusdem generis, quae plebi, (quod ne suspicantur quidem) Græca plane sunt (c).
Simi-

(c) Grave iudicium apponere lubet doctissimi viri: Jag vet icke om Predikanten icke handlade försigtigt, så framt han

Simile his est: Hans lif war et mål af de underliga-
ste skiften. Item, si hujusmodi sententia ad populum utar-
is: wi böre icke låta wår siåls högge förmodenheter
af sinnlighetens magt underkufwas, quotusquisque
sit, qui te intelligat? Tales abstractæ veritates, per
partes sunt populariter explicandæ, & applicate ad
auditores, non universaliter proponendæ. In univer-
sum affirmari recte potest, Technicarum vocum &
formularum non tantam esse, ad veritatem intelligen-
dam, vim & necessitatem, quantam vulgo prædicare
solent; magisque ad res breviter complectendas, quam
ad ideas clare explicandas valere, quas non raro ab-
scondunt potius & ambiguitatis velo tegunt, quam il-
striores reddunt (d). Optima est admonitio *Ven. ER-*

C

NE-

åfwen undwef de konstord, som finnas i sielswa Catechesen:
e. g. Nya Söndelse, Sörenyelse, Guds belåte, ånger, ruelse
(his addamus wårt eget lött, den gamla Adam, &c.)
och flere: jag är wiß uppå, at den största delen ibland Allmos-
gen endast hafwer et mycket dunkelt, kanske et oriktigt begrep
om dese ord, och för många år det endast et tomt ljud. Så
framnt Predikanten icke egenteligen handlar om dese lärdomar,
skulle han blifwa tydligare om han brukade andra talesått, som
fåde det samma. BASTHOLMS Anwisi. at Predika, C. 34,
Svecanæ versionis p. 282.

(d) Præstantissimum locum *Ven. SPALDING*, de *Perspicui-
tatis Popularis*, Sacro Oratori diligentissime comparandæ,
studio, non possum quin hic apponam: "Zu den mitteln,
mit unserm Unterrichte und mit unsern Ermahnungen mehr nu-
hen zu stiften, wurde auch ohne zweifel der durchgängige ge-



NESTI: *Verbis utamur nonnisi iis, quæ in usu vitæ quotidianæ versantur, eoque sensu, quo consuetudo communis usurpat, sed ita tamen, ut Elegantia conservetur, quod non parum diligentia postulare ipse CICERO agnoscit. Itaque non modo omnia verba vitabimus & genera loquendi, quæ in scholis & in arte aliqua interiori usurpantur, sed etiam ea, quæ sunt quidem in linguæ usu, sed non pervulgata. Init. Rhet. §. 312. Mystica docendi*

brauch einer solchen Sprache, einer solchen Art uns auszudrücken, gehören, welche der gewöhnlichen Vorstellungsart unsrerer Zuhörer gemäßer, folglich ihnen verständlicher, zur Erweckung ihres Verfalls und ihrer Entschließungen wirksamer, ist. Die wissenschaftlichen Redensarten, zum theil auch diejenigen, die schon eine gewisse Ababauung des Verstandes durch Bücherlesen voraussetzen, sind ihnen zu fremd, zu weit von den Ideen entfernt, mit welchen sie beständig in ihrem ordentlichen Leben zu thun haben; sie sehen das, als erlernte Kunst und Gelehrsamkeit an, zu welcher sie sich nicht erheben könnten; und außer dem allgemeinen dunkeln Eindrücke, daß darin etwas hohes und heiliges sey, werden schwerlich im ganzen die Gedanken und die thätigen Empfindungen davon erwartet werden können, die wirklich das Gemüth und Leben leiten. So schwer also auch das Studium für einen Prediger ist, in seinen öffentlichen oder besondern Unterweisungen, und überhaupt in allen den Fällen, wo er von der Religion zu sprechen hat, den Ton des ernstesten vertraulichen Gesprächs zu treffen, der gerade auf den Menschenverstand und das Herz gehet, so schwer ihm das deswegen ist, weil ihm durch Lesen und Denken das Künstlichere schon geläufig und gleichsam zur Natur geworden, so überaus wichtig und nothwendig ist es doch, daß

di formâ, (Monastici ingenii foetu, tenebroforumque capitum deliciis), nulla neque Perspicuitati inimicior, neque veræ rationi Eloquentiæ Sacræ adversa magis

C 2

ex-

er sich daraus ein sehr angelegentliches Studium mache. Die Religion, die er lehret, ist eine Sache für den Menschen, ohne Unterscheid in ansehung der übrigen Kenntniß und Cultur; sie muß ihm also auch so vorgetragen werden können, das er sie, ohne Hülfe von weiterer Wissenschaft, versteht. Wir müssen ihm so verständlich darüber Anleitung, Rath, Ermunterung und Trost geben können, wie wir sie ihm in andern beträchtlichen Angelegenheiten seines Lebens geben würden. Dann siehet er, daß das für ihn selbst etwas auf sich hat; dann siehet er auch an seinem Prediger so viel mehr Wahrheit und Aufrichtigkeit, und daß es demselben wirklich darum zu thun ist, ihm zu seinem Besten behülflich zu seyn. Wir müssen mit den Grundsätzen und Empfindungen, die unser Zuhörer mit uns gemein hat, wie tief wir auch etwa dabey herunterzusteigen genöthiget seyn mögen, anfangen, von da mit ihm weiter fort denken, die Wahrheit, die ihm nützlich ist, so nahe, als möglich, an den Kreis seiner gewöhnlichen Vorstellungen bringen, und dadurch bey ihm den großen und fruchtbaren Gedanken veranlassen: Das ist ja wahr; so muß es ja seyn. Es wäre allerdings sehr zu wünschen, daß den künftigen Geistlichen diese Art, über die Sachen der Religion mit Popularität zu denken und zu reden, durch Anweisungen und Zubereitungen erleichtert werden mögte. Bis hieher scheinen ihre gewöhnlichen Akademischen Studien gar zu wenig Beziehung darauf zu haben. Sie werden erst mit der künstlichen und gelehrten Theologie bekannt. Je mehr Fähigkeit und Fleiß sie darauf wenden, desto geläufiger wird ihnen die Vorstellungsart und Sprache derselben; und dann sollen sie hernach erst, ohne Anleitung

excogitari facile potest; qualem in SPENERI Con-
 cionibus merito taxat Ven. LESSIUS (e), & ex vetu-
 stiorum quorundam Theologorum libris haustam, ne-
 que hodie omnes, (inprimis qui Zinzendorffianorum
 diligentius tractarunt scripta), abjecerunt. Hi illorum
 adoptasse vitia non contenti, qui ad Orientalium mo-
 rem inconsulte fictis, nimis inhærent phrasibus, novis
 etiam, admodum mirabiliter adornatis, hunc thesau-
 rum augment formulis, obscurarum sæpeque portento-
 sarum *Allegoriarum* miro capti amore. Quorum stu-
 dio hujusmodi debemus sententias: Christi sår sår ån-
 nu õpna för oss, i hwilka wi skole söka wår tilflugt (f);
 item,

und Rath, selbst anfangen, sich gleichsam in eine neue Welt
 zu versetzen, nicht allein für sich die Religion von der Philo-
 sophie über die Religion abzusondern, sondern sie auch so zu
 lehren und sich so darüber auszudrücken, wie es für den ge-
 meinen Menschenverstand faßlich ist. Das ist in der That kei-
 ne leichte Arbeit; und gerade durch die angeführte gewohnte
 Art des Studierens, wird sie noch so viel schwerer gemacht."
 Ueber die Nützbarkeit des Predigtamtes und deren Beför-
 derung, (Berl. 1773, 8:o) p. 231. sqq. Ut in hoc opere
 feliciter elaborare verbi Dei ministri valeant, maxime
 igitur illis opus est, ut colloquiis, cum plebe curæ
 suæ commissæ, diligenter instituendis, attente illa exami-
 nanda, contvetudinis conversationisque familiaris oppor-
 tunitate prudenter utenda, fructuosam idearum ejus, præ-
 judiciorum, & facultatum mentis, practicamque sibi cogni-
 tionem comparent. Cfr. eximius ejusd. SEALDINGII locus,
 Lib. cit. pag. 185-188. (e) L. c. p. 52.

(f) Talium inopia, *Cantionum nostrarum Ecclesiastica-*

Item, ut Hans sår skote wi säga tröst och hugswalelse. Quæ ideæ? Num in S. Scriptura tales formulæ occurrunt? Neque hæc placent: Guds barnas tårar, ack! en ädel flod, som wäl rinnet ut före kindbenen, men tillika flyter in uti Guds bröst. Hwar och en tåredroppa utaf et troget hjerta, förer med sig hjelp och tröst ifrån Guds hjerta; innumeraque talia, quæ cum in orationibus celeberrimorum virorum occurrunt, eo facilius imperitorum adolescentium corrumpunt iudicia (g). Formulis e *Cantico Canticorum*, (libro Poëtico, cujus elocutionem ad Concionum, sermonem simplicem stulte transferunt), &c. cumulandis, quas pro suo quisque ingenio exornat & applicat, hujus rationis antici maxime delectantur, & in iis singularem quærunt vim & efficaciam. Quibus salubrius sapientiusque aliud consilium dari non potest, quam ut ipsi quæ dicant, intelligere & dilucide perspicere, stu-

C 3

de-

rum liber (*Ryfsk. Psalmboken*) haud laborat. Vid. Ex. gr. Pl. N:o 253, v. 7 & 8; N:o 370, v. 5; quibus, in prosa oratione minime imitandis, *Asceticos* imprimis libros abundare, perniciosissimoque consilio cœcam, non vere fructuosam, devotionem alere, dolendum est.

(g) Neque hæc probari incorruptis harum rerum iudicibus possunt: Et förkroghadt hjerta är et tydeligt tungomål, som wår lefwande Tröskfare wäl förstår; Item, Lätom oss då — med blygsel lägga wår syndaskuld ned för Hans (Jesu) kruska, hwilket är den rätta bättrings ordning, hwar uti wi willigt emottage honom. Num hæc apta, accurate expressa, plebique intelligibilia sunt?



deant; quo factò, nimius amor tenebrosæ hujus rationis ab iis, speramus, recedet. Ut ad *sensualem* porro & *intuitivam* (quæ vocatur), adeoque vividiorẽ cognitionem res abstractæ & a sensu remotiores, propius adducantur, & Phantasie admoveantur, potentissimæ Intellectus adjutrici, (maxime apud rudes homines & indoctos), vehementer ad popularis perspicuitatis laudem pertinet; quæ ratio proxime artem Orationis scite *ornandæ* attingit, cujus adjumentorum apparatusque insignis pars, non tam ut delectare, quam ut dilucidius sententiam argumentaque nostra repræsentare valeamus, adhibentur (*h*). Huc *tropi*, *imagines*, *similitudines* & *comparationes*, maximeque *exempla* pertinent; de quibus omnibus ex instituto infra disputabitur. Hoc loco paucis monuisse sufficiat, talia per-
spi-

(*h*) Recte vir doctus monet: Die meisten Handlungen der Menschen entstehen nicht so wohl aus kalter Ueberzeugung des Verstandes, als vielmehr aus Empfindungen, welche durch die Einbildungskraft und die Sinnen erregt werden. Die Verfinnlichung der Wahrheit ist also bedürfnis für unsere Natur. Daraus folgt, daß die Wahrheiten, welche die Versammlung faßen soll, derselben so beygebracht werden müssen, daß sie dieselben empfinde. Dieser endzweck wird erreicht, wenn man sie sinnlich ausdrückt, und die Einbildungskraft damit beschäftigt. Sodann aber wird auch erfordert, daß die Gemeinde die Wahrheiten auch richtig empfinden lerne zc. Vid. SEILER Gemeinnützige Betrachtungen der Neuesten Schriften zc. 1782, p. 148. Cfr. LESS Vom Sinnlichen Vortrage, l. c. p. 125. sqq.



spicuitatis adjuvandæ adminicula deligenda esse, itaque adornanda, ut & vera & clara sint, quo rem non obscurent potius quam illustrent. Num lucem adferant menti auditorum hujusmodi sermonis ornamenta: *Uphäfwä wänskaps bandet* (pro uplösa, vel sönderstifta); item, *Herrans Klarhet öfwerstygge nu wära hjertan*; item, *Theras ungdoms blomma bäddar törne under theras älderdom*; item, *En hälsobrunn utur hwilken lefwande watten flyter til nåde hungrande stahars förfriskning, &c. &c.*? Quam ob causam nec nili a rebus maxime obviis auditorumque plurimæ saltem parti notissimis, similitudines petendæ sunt; non ex artium & scientiarum adytis, peregrinarum gentium institutis & moribus, naturæ phænomenis rarioribus, aut nostris terris hominibusque ignotis (i), & sic porro. *Proprietatis* etiam in usu verborum servandæ (non Grammaticæ illius, in qua nulla virtus est ad Elegantiæ, sed Rhetoricæ) diligentia, ad hanc, quam persequimur, orationis virtutem gignendam non parum facit. *Ανεργλογίας* itaque fugiendum est vitium, apta cuique voci Epitheta adjungenda, verborum illæ potissimum confociandæ formulæ, quæ & rem
ex-

(i) Quæ interpretatione opus ipsa habent, quo intelligantur ab auditoribus, stulte ad alias res illustrandas adhibentur: ut si a Tabernaculi Templique Israëlitiçi structura, a vinearum cultura, montibus ignivomis, electricitatis phænomenis &c. imagines mutuatus fueris, ad populum nostrum verba facturus.



exprimunt accuratissime, & quas consuetudo hominum optime atque elegantissime loquentium inprimis usurpavit: quam itaque notam sibi atque familiarem studiose reddere, tirones oportet. Ita *bata brödd, brygga dricka, flåta fransar*, proprie dicitur; non longius quasi a re quaque distantibus verbis *göra aut bereda* &c. quod humilem stylum quendam & vehementer ingratum parit. Hujus generis etiam est, *afböja en egenkap*, plurimæque tales phrasæ, caliginem quandam rebus inducentes.

Denique, ut a cæteris etiam styli vitiis, quæ perspicuitati adversari recte docent Rhetores, diligenter sibi Eloquentiæ Sacræ studiosi caveant, breviter monendi sunt. Pertinent huc *acumina*, & *sententiarum ingeniosarum*, *Antithesum*, similibusque figurarum captatio, a popularis Orationis simplicitate captuque vulgi remotarum; quibus mirifice quidam delectantur, *Epigrammata*, vel dicam *Ænigmata* perpetua, auditoribus suis stultissime proponentes. Acuta *Brevitas*, quæ scriptori, ut *SALLUSTIO* & *TACITO* laudem nonnunquam parit, in Oratore, ad populum dicente, grave vitium est; de quo infra, cum de *Copia* Orationis disputandum venit, accuratius agemus. Hic satis est monuisse, veram *brevitatem*, cui Orator operam debet navare, non sententiis abruptis Laconicisque contineri, sed in verbis omnibus inanibus, inutilibus & supervacuis recidendis, consistere, quæ nullam menti lucem uberiores adferant, nullas novas aut pleniores

ideas præbeant; qualis *Perisfologia* aut *Macrologia*, flumine quasi quodam vocum sententiarumque effuso auditores obruens, & defatigans, inter vitia Perspicuitati inimica, & ipsa recte refertur: Maxime licet de cætero necessarium sit, ut rudes docturus homines, in re explicanda aliquamdiu moretur, aliis atque aliis eam coloribus depingens, aliam atque aliam ejus faciem obvertens, quo accuratam & dilucidam ejus ideam concipere audientes valeant (k). Constructio tandem & conformatio *Periodorum* difficilior, implicita, & contorta; sententiæ nimis longæ, ambigue compositæ; usus immodicus aut imprudens *Hyperbati*, *Paremboles*, *Parenthesium*, *Anastrophe*, *Synchyseos* &c. recte Rhetores vitii annumerant, Perspicuitati vehementer adversis. Quæ exemplis adducendis explanare, nihil opus est. De *Periodorum* conformatione & usu, infra, cum ad doctrinam de *Compositione* Oratoria ventum fuerit, quædam, Sacris maxime *Oratoribus* observanda, diligentius præterea monebuntur. *Orationis* porro *Perspicuæ*, *Popularis*, *Dilucidæ* feliciter efficiendæ hanc rationem, DEMOSTHENIS & CICERONIS *Orationibus* assidue & diligenter tractandis, meditandis, & imitandis, optimæ & perspicere & attingere licet; qui hac,

D

ut

(k) Bene Ill. GESNERUS: *Hæc causa est, inquit, cur Oratores verborum non debeant parcè esse, sed unam rem variè enunciare; ut scilicet prius dicta declarentur a posterioribus, aut si verbum quoddam aures prætervolaverit, hoc damnum sequentibus resarciatur. Nam concisa Oratio jucundior est quam apertior. Sed ob altera parte videndum, ne incidamus in ταυτολογίας vitium.* (Ad HEINECCII Fund. Stili Cultioris, P. I. C. 2. §. 50). Tali Tautologiæ vitio hæc neutiquam carent: Den som vil försöka, skal sielf försøra sanningen deraf, at bygge den belønne sig sielf, år sin egen belønning, har lön med sig i sin egen natur. Ad hujusmodi inanis loquacitatis vitium, frustranei etiam verborum circuitus pertinent, quibus nonnulli delectantur, qui cum oppositæ rei aut opinionis removendæ nullajubeat necessitas, dicturi ex.g. bygge den består i hog och sårdighet &c. malunt dicere byggen består ej utan annat än i hog &c. quod stilum reddit languidum & ignavum.

ut alia omni laude oratoria præcipue excellent. Atque etiam ex Sacris nostrorum Concionibus, typis vulgatis, eorumque ipsorum auctorum, quorum quædam loca attulimus minus probanda, (ut adolescentium, præstantissimæ huic facultati comparandæ studentium judicia acueremus), præclara adducere, (nisi pagellarum vetaret angustia) exempla possemus, hujus virtutis diligenter atque feliciter exhibitæ (l). Nunc egregia modo FABII verba addimus, & præcipua hujus doctrinæ momenta pulchre complectentis, & causas errorum, quos committere homines solent, remediaque perite aperientis. Ita autem ille: *Prima est eloquentiæ virtus, Perspicuitas, & quo quis ingenio minus valet, hoc se magis attollere & dilatare conatur: ut statura breves in digitos eriguntur, & plura infirmi minantur. Nam tumidos, & corruptos, & tinnulos, & quocumque alio cacozeliæ genere peccantes, certum habeo, non virium, sed infirmitatis vitio laborare. - - Erit ergo obscurior etiam, quo quisque deterior. - - Pessima sunt adiuvantia, hoc est quæ verbis aperta occultos sensus habent: - - Ingenua hæc & fortia, ut ex ancipiti dicta credantur, perficiunt. Ac pervasit quidem jam multos ista persuasio, ut id jam demum eleganter atque exquisite dictum putent, quod interpretandum sit. - - Nobis prima sit virtus perspicuitas, propria verba, rectus ordo, non in longum dilata conclusio: nihil neque desit, neque superfluat. Ita sermo & doctis probabilis, & planus imperitis erit (m).*

(l) Cfr. inter plures vel unus b. NOHRBORG, Den fælles Menniskens Sæligheds Ord. IV. afsd. 21. Sænd. ester Trin. §. 48. V. afsd. Vingesd. §. 14. 15. 16. VI. afsd. 4. Sænd. ester Trettend. §. 26. 16. Sænd. Trin. §. 7. 24. Sænd. Trin. §. 12. IX. afsd. I. Sænd. Trin. §. 8. Etc. Etc. paucis modo hic & ibi exceptis navis.

(m) *Instit. Orat. L. II. c. 3. L. VIII. c. 2. Adde ex L. VIII. c. 3. hæc verba: "ivaγyεια; -- quia plus est evidentia, vel ut alii dicunt representatio, quam perspicuitas, (nempe Logica illa), & illa quidem patet, hæc se quodammodo ostendit, inter ornamenta ponamus. Magna virtus est, res de quibus loquimur, clare, atque ut cerni videantur, enuntiare. Non enim satis effecit, neque ut debet, plene dominatur Oratio, si usque ad aures volet, atque ea sibi iudex (auditor) de quibus cognoscit, narrari credit non exprimi & oculis mentis ostendi."*